



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xxiii. De solutionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

*De Solutionibus. Tit. 23.*

**N**emo ecclesiam sibi commissam pro alienis <sup>2. Si quorundam.</sup> debitis grauato. literasve, seu sigilla quibus ecclesie obligari possent alicui concedito. Si secus adtentatum erit: ad solutionem talium debitorum ecclesie ne tenentor. Qui contra faxit ab administratione spiritualium & temporalium suspensus esto.

Sanè prælatus prædecessoris sui debita pro necessitate ecclesie contracta soluito. <sup>1. Ailhoc</sup>

Clericus super debitis conuentus si hæc recognoscet: etsi propter rerum inopiam in totum <sup>3. Odoardus.</sup> partemve soluere nequibit, ob idque excommunicatus erit, si tamen idoneè cauebit quod ad pinguiorem fortunam veniens ea persoluet, sententia ipsa relaxator.

Is qui indebitam pecuniam soluisse conquiretur, quod indebitè soluta fiet probato. At si aduersarius solutionem inficiens exinde conuictus erit: diffidenti, quod debitum recepsit, probandi onus incumbito. <sup>4. Is qui</sup>

*De Donationibus. Tit. 24.*

**S**i quis debere se quod donat existumabit, & <sup>1. Prudentes.</sup> nisi in beneficiis suis creuerit nihil se præstitisse putabit: hæc vera nobilitatis lex esto.

In beneficiis autem hæc posita sunt. Itaque <sup>6. Cum dilecti.</sup> licet in contractibus quidem plena, in testamentis autem plenior interpretatio adhibeatur, certè in beneficiis plenissima adhibetor. vnde